IO. WILHELMI DIETMARI D.

CONSILIARII SAXONICI,

ANTECESSORIS IN ACADEMIA IENENSI, CVRIAE PROVINCIALIS DVCVM SAXONIAE COMMVNIS, FACVLTATIS IVRIDICAE ET SCABINATVS ASSESSORIS ORDINARII, ET PRODECANI

PROGRAMMA

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI

IVRIVM CANDITATI

I A C O B I F E L S

LINDAVIA - ACRONIANI.

INAVGVRALI DISSERTATIONI

DE

CONFOEDERATIONE

CIVITATVM IMPERIALIVM

PRAEMISSVM

IENAE D. XXVI. MART. MDCCLII.

LITTERIS SCHILLIANIS.





Cum Deo



De diuturnitate litium ſaltem non omnes quaeruntur litigantes, quid mirum? nam non tantum olim, ſed et hodie publice et priuatim de modo lites abbreuiandi, vel praecauendi ſolliciti ſunt multi, inter eos vero de modo lites commode et pro ſalute publica priuataque, abbreuiandi vel praecauendi, non conuenit. Placet illorum ratio, qui per partes huic malo mederi volunt, hinc de minuendis interlocutoriis ſententiis cogitandum ſuadent, ſane, quotidiana experientia docet, per eas ſaepe lites, ſi non aeternae fiunt, adeo tamen protrahi, donec et aetas et bona eorum, qui bonam ſe cauſam habere credunt, vel etiam iurarunt, diſſipata videas. Cum vero cauſae harum interlocutionum fere infinitae ſint, vna lege et cura exſtirpare non erit poſſibile, conſuli tamen et huic malo per partes poſſe creditur. Exempli loco animum ſubit caſus inter lanios quosdam, qui de carne vendita contributiones, Fleiſch-Accis, prae-

   

ſtare debebant, et collectionem vni membro collegii ſucommiſerant, a quo rationum redditionem petebant, et huius negata, vt probarent, decretum erat. Producebantur itaque teſtes ſex ex ipſo collegio, ſed eos non admittendos eſſe, tanquam in cauſa propria, *per L. 10. D. et L. 10. C. de teſtibus* pronunciabatur. Leuteratione interpoſita reformationem prioris ſententiae lanii impetrabant, et recte, ni fallor, quamuis enim nemo, in cauſa propria, ſit teſtes idoneus, multo minus omni exceptione maior, diſtinguunt tamen, an cauſa vniuerſitatis ſit talis, quae non niſi per illos, de vniuerſitate probari poſſit, veluti electio, et alia negotia, quae ſecreto fiunt, an vero talis quae de ſui natura per alios, quam per illos de vniuerſitate, probari queat? In priori caſu, qui eſt de vniuerſitate, eſt teſtis idoneus pro vniuerſitate nam aliter res probari non poteſt, quoad caſum poſteriorem, rurſus diſtinguitur, an cauſa vniuerſitatis immediate concernat commodum ſingulorum, v. g. in cauſa iuris piſcandi, lignandi etc. an non? illo caſu, qui eſt de vniuerſitate, non eſt teſtis idoneus, per ſupra cit. *LL. 10 D. et 10. C. de teſt.* nam in particulari ſinguli ſentiunt commodum, v. g. in paſcuis, quibus gratis et abſque mercede vtuntur, MEV. *conſ. 73. n. 19. ſq.* et *Dn. de* BERGER, *in elect. diſc. for. tit. 22. obſ. 1. n. 6.* etiam in poſſeſſorio ſummariiſſimo tales teſtes repellit, atque hoc procedit, etiamſi plures ex vniuerſitate eſſent, CARPZ. *L. 3. reſp. 39. n. 4.* quia omnes teſtificantur de cauſa propria. Hoc vero non facit teſtem minus idoneum, ſi ſaltem per conſequentiam teſtimonium redundat ad ſingulorum vtilitatem, modo principaliter reſpiciat iura vniuerſitatis, STRVV. *exerc. 28. th. 39.* ſic etiam admittuntur teſtes ex vniuerſitate, ſi aduerſarius non audet, ad quemquam ex vniuerſitate prouocare, qui pro ſe contrarium afferat, vel teſtis iurato affirmet, ſe id etiam a maioribus audiuiſſe, BRVNNEM. *cent. 5. dec. 91.* item

A admit-

admittuntur, quando ſinguli agere aut excipere non poſſunt ſuo nomine, MENOCH. *de arbitr. iud. quaeſt. L. 2. c. 2. caſ. 106.* porro *Panormitanus ad c. 5. X. de teſt.* quoad ius paſcendi et lignandi, ſingulos de vniuerſitate admittendos eſſe putat, nam et in tali caſu veritas aliter vix haberi poteſt. Videmus ergo regulam, neminem in propria cauſa teſtem eſſe poſſe, variis diſtinctionibus, extenſionibus, reſtrictionibus et limitationibus implicitam eſſe, Idem accidit circa articulos pertinentes vel impertinentes, vt et inſtrumenta, quibus probatio inſtruitur. Hinc bene ſibi conſulunt, qui, ſaluis exceptionibus, admittunt articulos, teſtes, inſtrumenta et ſimilia, et poſt probationem et reprobationem abſolutam, in diſputationibus ſuper probatis, exceptiones contra articulos, teſtes, interrogatoria et inſtrumenta etc. deducunt. Ne vero litigantes, an iudex in concipienda ſententia, has exceptiones multum attendere velit, deſperent, publica lege ſecuritas firmari poteſt, ita enim multum temporis et ſumtuum litigantes lucrari poſſunt. Sed haec praemittere placuit, redeo ad illum, cuius gratia nunc ſcribo, nempe ad

NOBILISSIMVM ET CLARISSMVM

IACOBVM FELS

LINDAVIA - ACRONIANVM

qui curriculum vitae ſuae ſequentibus verbis ipſe recenſet:

 Patriam

  

Patriam habeo Lindauiam, ciuitatem illam imperialem, quae in Lacu Acroniano eſt ſita, in qua d. VI. Ianuar. MDCCXXX. in lucem ſum editus. Parentes veneror patrem SEBASTIANVM FELS Directorem Cancellariae patriae, qui viam lethi iam Ao. MDCCXXXXIV. menſe Decembri calcauit; matrem Felicitas ex ſtemmate Frey oriundam; a quibus parentibus primis ſtatim annis pietati et literis addictus manuductioni ac inſtitutioni eorum praeceptorum ſum traditus, qui iuuentutem in lyceo patrio bonas literas ſcientiamque docent, inter quos tum propinquitatis, tum eximiae fidelitatis ac diligentiae cauſa, qua me in bonas literas incumbentem conſilio auxilioque adiuuit, ſumma ſemper pietate colo Virum Clariſſimum M. ANDREAM LANGENSEE Lycei patrii Rectorem longe meritiſſimum. Duce igitur Viro hocce Clariſſimo viam ſtudiorum ſcholaſticorum per quinquennium emenſo vitae ac ſtudiorum rarationis author mihi extitit atque moderator Vir quondam ſumme Reuerendus, iam beate defunctus M. SEBASTIAN FELS Eccleſiae ciuium Lindauienſium Paſtor fideliſſimus, qui patris mei vita orbati inſtar ita me amauit, vt in aedes ſuas receptum menſae me adhibuerit, in ſcientia ſcitu tum neceſſaria me inſtruxerit, aliaque beneficia ſummi momenti in me contulerit. Hunc prudentem ingeniorum aeſtimatorem cum non fugeret, tempus adeſſe, quo in Academiis altioribus ſtudiis me excolam, author is mihi fuit, vt muſas Salanas adirem, et itineribus in earum ſedem Ao. MDCCXXXXVIII. menſe Aprili contenderem. Huic Evergetae morem iam gerens ſalutaui Academiam noſtram Salanam ſub regimine Academico Viri Illuſtris DARIESII, et inſerto meo nomine albo ſtudioſorum non intermiſi eas ſcholas frequentare, in quibus principia, tum philoſophica ſtudioque iuridico haud parum inſeruientia, tum Themidis oracula mihi ſunt propoſita, et quidem Logicam, Metaphyſicam, Politicam, Ius Naturae, ſcientiam Cameralem

Vir

Vir Illuſtris ac Conſultiſſimus DARIES mihi explicuit, cuius collegio Grotiano ad ius belli et pacis quoque interfui. Hiſtoriam regnorum Europae et praeſertim Imperii Germanici narrantem, nec non quauis hebdomade de publicis rebus geſtis nouiſſimis ſeu nouellis bis diſſerentem audiui Virum Conſultiſſimum D. SCHMIDIVM. Inſtitutiones Iuſtinianeas me docuerunt Viri Conſultiſſimi D. MOTER et D. HOFFMANN, quorum poſterior iuris Germanici nec non hiſtoriae iuris ciuilis praecepta mihi tradidit. In explicatione G. A. STRVVII iurisprudentiae forenſis ſubuenit mihi Vir beatae memoriae D. STENGER. In Iure Canonico et criminali me inſtituit Vir Illuſtris ac Excellentiſſimus ENGAV, in pandectis vero, iure feudali et publico praeceptorem veneror Virum Excellentiſſimum HELLFELDIVM, a cuius ore quoque pependi in collegio examinatorio-diſputatorio in pandectas inſtituto. Doctrina iuris gentium Europaearum imbutas ſum a Viro Illuſtri ac Excellentiſſimo BVDER, et ex ore Viri Clariſſimi C. W. F. WALCHII ſtatum politicum Europae principatuum hauſi, Viam, qua doctrinas iuridicas applicare poſſum ad facta, monſtrauerunt mihi Vir Illuſtris ac Excellentiſſimus BROKES Praeſes diſſertationis meae inauguralis Grauiſſimus Fautor atque Patronus meus nunquam ſatis ſuſpiciendus nec non Vir Conſultiſſimus D. RAVENSBERG in collegio elaboratorio-practico. Denique non poſſum, quin referam, ex collegio diſputatorio ſub Moderamine Viri Conſultiſſimi D. HOFFMANNI habito ſaepiſſime mox reſpondentis mox opponentis officio fungendo magno me cepiſſe emolumenta, eodemque Viro Doctiſſimo praſidente publice Diſputationem meam *de retractu praecipue ſecundum ſtatuta S. R. I. liberae ciuitatis Lindauienſis competente* me defendiſſe.

Multa

   

Multa ergo et varia eruditione inſtructus collegio ſemel noſtro per ſolennia egregios ſuos profectus explorandos obtulit examina, atqne vt ſummus vtriusque iuris gradus ipſi conferretur, modeſte petiit. Poſtquam igitur, ſingularem iurium ſcientiam ſatis probauit, conceſſum eſt ei, vt ſub *illuſtris et excellentiſſimi Viri, Domini* HENRICI BROKES, Conſiliari aulici Saxonici Gothani et Profeſſoris Publici Ordinarii praeſidio, diſſertationem inauguralem: *de confoederatione ciuitatum Imperialium*, die 27. Martii defenderet. Ad quem actum ſolennem, *Magnificum Dominum PRO-RECTOREM*, proceres omnium ordinum grauiſſimos, quique alias hanc academiam ciuitatemque condecorant, cum generoſa et nobiliſſima ſtudioſorum corona, opere quantum poſſum, maximo, ea, qua decet, obſeruantia inuito. P. P. in Academia Ienenſi, die

XXVI. Mart- Anno Chriſti

MDCCLII.

